



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Sors damnorum societati innixa semper damnabilis est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

omnibus his, & præcipuè secundo, & tertio, & quarto, est cadere in crimen superstitionis diuinatoriæ per somnia, quoniam vanis ac incertis opinionibus seu coniecturis vtens quasi certis ad cognoscendum vel operandum, aut omittendum circa futura contingentia, meretur vt diabolica illusio se immisceat, ac de vanis fiant perniciofa, & sic in tacitam dæmonum societatem incidatur, dum paulatim tantum homo credit somniis, vt somniis vtatur pro regulis suarum actionum: aut incidat in scelera quæ diximus de obseruatione astrorum.

Sors damnorum societati innixa semper damnabilis est.

Sors triplex quum sit (diuinatoria, consultoria, & diuinatoria) tertia damnata est, vt pote dæmonum societati innixa: & propterea peccatum est mortale ex suo genere. Secunda autem qua consulimus quid agendum sit, tot exigit condiciones ad sui rectitudinẽ, vt raro sit licita. Exigit siquidem primo articulum necessitatis, ne tentetur Deus ubi opera humana potest prouideri. Secundo, reuerentiam, ne irreuerenter consulatur Deus. Tertio, proportionatum modum se scilicet diuina oracula aut sanctorum reliquæ ad secularia negotia conuertantur: quod Augustinus reprehendit. Quarto debitam materiam ne pro electionibus spiritalibus hoc fiat. Prima verò qua determinatur quod ab hoc vel illo habendum sit boni, aut patiendum mali in temporalibus bonis & malis illicita inuenitur dupliciter. Primo, si imprudenter fit, omnis enim humanus actus prudenti circumspectione, cautela rationeque formandus est. Secundo, si cum periculo communis boni, aut iustitiæ fit: vt si forte regiminis officia fiant admissis ad sortes tam idoneis quam ineptis. Et hoc enim periclitatur respublica, vt

patet

pater: & rationalis homo dignitate sibi rationi adi-
mit sic providendo reipublicæ de rectoribus. Secus
autem si admissis tantum idoneis, sortibus officia cõ-
mittantur ne pax turbetur. Quando autem sortium
illicitus vsus mortale peccatum est, ex admixtis con-
trariis ad religionem & iustitiam accipiendum est.
Diuinatoria enim ideò mortalis est, quia contra reli-
gionem est. Diuinatoria verò, si contra iustitiã, in præ-
iudicium, s. proximi vel communis boni est, morta-
lis est. Consultoria quoque si altero dictorum crimi-
nũ polluitur, mortalis est. Verũ aduerte non omne
irreuerentiã esse mortale. Ex hoc enim quòd Euan-
gelia, ad secularia negotia consuluntur, non incurri-
tur mortale: quia non contra diuinam est hoc reue-
rentiam: sed quia præter eam videtur, ideo Augusti-
no displicet. Posset tamen (vt puto) tali fide & reue-
rentia ac necessitate fieri, vt nullum esset in hoc pec-
catum. Ex materia quoque electionum spiritualium
ministeriorum si inhibitiõ positum iuris secludatur,
non video peccatum aliquod si sortibus committe-
retur super aliquos prælectos æquè idoneos, vt factũ
est in electione Apostoli Matthæi. Et breuiter quia
vti sortibus non est ex suo genere malum, ex admi-
xta irreligiositate, aut iniustitia, aut imprudentia vel
econuerso ex admixta religione, prudentia, & pace
iudicandum est.

*Peccatum sortilegij grauissimum est &
hæresi simile.*

Sortilegium (quo explicitè vel implicitè ad dæ-
monis auxilium seu consilium sorte recurritur)
peccatum mortale est ad superstitionem spectans: vt
quum quis per sortes inquirat quis fecerit furtum aut
aliquid huiusmodi ad dirinationem pertinens: & simile
est si forte queratur quid agendum. Sortilegij enim
crimen